

Tom: LXXVI. Miscell.

~~G.H. 17.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

17-18.

VITEBERG.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

m)

DE LOCO OCTAVI CAP.
PROVERBIORUM,

Pro

ÆTERNA DIVINI-
TATE CHRISTI,

*Ex prælectionibus ordi-
nariis*

DISPUTATIO THEOLOGICA

De quâ

Dante DEO Opt. Max.

Consensu

Venerandi Theolog. Ordinis

SUB PRÆSIDIO

CONRADI BERGII SS. THEO.

logiæ Doctoris, & Professoris Publici

in almâ Viadrinâ

piè placidèq; querentibus

Respondebit

JOHANNES BAPTISTA MARTINIUS

Cotbusio-Lufatus, Electoralis Stipendiarius

ad d. 15. Martij Anno 1627.

Horis locoq; solitis.



LITERIS

Michaelis Kochii exscripta



V I R O
Magnifico, Nobilissimo

Amplissimo & Consultissimo

Dn. D. FRIDERICO PRUCK-

MANNO Jcto celeberrimo atque eminentissimo

mo, Serenissimo Electori Brandenburgico à consiliis
secretioribus & CANCELLARIO

Marchiæ meritissimo &c.

Nec non

V I R I S

Amplissimis & Consultissimis

Dn. SEBASTIANO STRIPIO

Apud eundem Serenissimum Elector: Brand. San-
ctioris consilii Assessori & causarum Feudalium

Secretario spectatissimo, &c.

Dn. GEORGIO CRAUSIO

Serenissimi Electoris Brandenb. Consiliario

& Causarum Patrono excellen-
tissimo, &c.

Dominis, Evergetis, Patronis & Promotoribus

suis submisso observantiæ cultu
honorandis

Disputationem hanc Theologicam

humillimè & submisè consecrat

RESPONDENS.

PERICOPA
CAPITIS OCTAVI PRO
VERBIORUM:

Ex versione Pagnini.

v. 22. **J**EHOVAH possedit (*LXX. ἐκποίησεν, creavit*)
me principio viae suae: ante opera sua ex eo
tempore, (*vel ex tunc: h. e., priusquã quis
dicere posset tunc, juxta Cartwrightum:
Tremell. ante ullum tempus.*)

v. 23. A seculo principatum habui, (*Vulg. ordina-
ta sum: Tremell. inuncta fui*) à principio, ante
terram. (*Tremell. ante primordia terræ.*)

v. 24. Cum nondum essent voragines (*vel abyssi,
h. e., rudis & indigesta moles, materia futuri opifi-
cii, juxta Lavaterum: vel illius pars altera, juxta
Cartwrightum*) formata sum (*Chaldaeus: geni-
ta sum: Mercerus: enixa sum, passivè: Vulg.
concepta eram: Tremell. edita eram,*) cum non-
dum essent fontes abundantes (*vel graves*) aquis.

v. 25. Antequam montes fundati essent, (*vel im-
mersi, infixi, scilicet terræ*) ante colles formata
sum. (*Tremell. edita sum; Vulg. parturiebar.*)

v. 26. Nondum fecerat terram & plateas (*Tremell.
rura: Munst. & quæ sunt extra terram: signifi-
care autem videtur campos & vastas planicies or-
bis habitabilis*) & summitatem pulverum orbis.

A 2

(i. e.

(i. e., potiore[m] partem terrarum orbis, secundum Mercerum. Tremell. imò principium nondum fecerat, neq[ue] pulveres orbis habitabilis. Lavaterus exponit, fuisse Sapienciam antequam DEUS vel pulvisculum fecisset.)

v. 27. Quando præparabat coelos illic eram: quãdo describebat circulum in superficie abyssi. (i. e., quando terram & mare in figuram sphericam redigeret: vel, cum altero quasi circini pede in terrã velut in centro posito, circulos cælorum describeret. Metaphora ab architectis.)

v. 28. Quando firmabat coelos desuper, (Tremell. superiores nubes, quas videlicet ita suspendit, ut cum sint ex materiã ponderosã, ac nihil ferè aliud quàm aqua, tamen haud erumpant deorsum, Job. 26, 8.) quando roborabat (vel stabiliebat) fontes abyssi, (h. e., quando ita construebat fontes fluviorum, ne unquam exhaurirentur.)

v. 29. Quando ponebat mari statutum suum, & aquis ne transirent littus suum, (Tremell. & LXX. præstitutum oris ipsius: confer Job. 38, 11.) quando describebat (vel statuebat) fundamenta terræ. (Confer Psal. 24, 2. Psal. 136, 6. Job. 26, 7.)

v. 30. Eram apud eum veluti alumnus, & eram in lætitiis (vel deliciis) quotidie (Munst. fui quoq[ue] ei oblectamento per singulos dies) & ludo (vel, ludens) coram illo omni tempore.

v. 31.

v. 31. Ludo in orbem terræ ejus, & delectationes (vel
delicia) meæ cum filiis hominum.

Quæstio I.

*An Christus substiterit reverâ antequam nascere-
tur ex Maria?*

I. Quanquam non sit præcipuum argumentum, quod ex recita-
to loco pro asserendâ naturali Christi divinitate adduci solet: quip-
pè quod & Veteres nonnulli, (qui Nazianzëno teste in Orat. 2. de fil.
ut Arianis ex creandi verbo argumentantibus facilius occurrerent,
meram hoc loco Prosopopœjam concesserunt) & recentiorum quo-
que unus aut alter, dum aliis plurimis multò etiam clarioribus (ut,
comparatione locorum Utriusque Testamenti, nominibus, proprie-
tatibus, operibus divinis, quæ Christo passim in Scripturis apertissi-
mè tribuuntur) abundè se munitos sentiunt, haud sollicitè admo-
dum expendere aut urgere voluerint: tamen cum & ordinaria inter-
pretatio libri ex quo præsens argumentum desumptum est, ejusdem
nobis considerationem præcipuè imperet; & ipsa veritas accedere il-
lis jubeat, qui certum in hoc loco orthodoxias fundamentum conti-
neri statuunt; satis nobis hoc tempore fuerit vel hoc unicum ab ef-
lugiis & exceptionibus adversariorum vindicare. Quod si nihil soli-
di in iis, quæ huic loco opponunt apparuerit: æstimabunt porro pru-
dentes, quantum aliis eorundem cavillis, quibus clariora alia Scri-
pturæ testimonia eludere conantur, tribuendum sit.

II. Vis igitur & summa argumenti nostri, breviter his capitibus
continetur: 1. Quod hoc loco sermo sit de sapientiâ divinâ seu
creatricè.

2. Quod hæc eadem sapientia doceatur à DEO producta seu
genita, eoque à gignente reverâ distincta esse.

3. Quod substantialis ejusmodi DEI sapientia, à gignente distin-
cta, nulla alia ex scripturis ostendi possit, quàm quæ alibi quoque &
sapientia Dei & λόγος sive ratio & sermo & imago & character &
splendor Patris & filius unigenitus appellari solet, hoc est Christus.
Quem proinde apud Patrem, & ante orbem conditum (quod hæc

quæstione potissimum contra Photinum contendimus) & ab omni æternitate (quod in sequenti quæstione ostensuri sumus (reverâ substituisse necesse sit.

III. Huc pertinent loca Luc. II. 49. *Propterea & Sapiencia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos &c.* junc. Matth. 23. 34. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes, &c.* 1. Cor. I. 24. *Predicamus Christum Dei virtutem & DE I sapientiam.* Matth. II. 19. *Justificata est sapientia à filiis suis.* Luc. 2. 4. *Plenus sapientiâ &c.* junc. Col. 2. 9. *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Joh. I. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, &c.* quo nihil magis geminum præsentis loco esse poterat. Apoc. 19. 13. *& vocatur nomen ejus Verbum DE I.* vers. 16. *Rex regum & Dominus Dominantium &c.* Colos. I. 15. *Qui est imago DE I invisibilis, primogenitus omnis creatura: quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terrâ visibilia & invisibilia, &c.* vers. 17. *& ipse est ante omnia & omnia in ipso constant, &c.* Hebr. I. 8. *Qui cum sit splendor gloria & character substantia ipsius, portansq; omnia verbo virtutis sue, &c.* Joh. I. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Adde v. 14. *ibid. c. 3. 16. 18. 1. Joh. 4. 9.* & quæ alia similia allegari possunt. Quin & quod cap 9. *Sapientia domum mensamq; habere dicitur, quid aliud est quam Christi quædam representatio, animas lassas ad panem potumque spirituales invitantis? Matth. II. 28. Job. 6. 35. & seqq. & cap. 7. 37. 38. &c.* Unde patet, si quæ fuit sapientia ante orbem à Deo genita: non aliam quam Christum eam fuisse, ab iis qui scripturis credunt cogitari aut fingi posse.

IV. Conantur tamen præsentem locum prolixâ responsione eludere Socinus contra Posnanienses c. 7. pag 201. & seqq & contra Wuiikum c. 7. & Georg. Enjedinus in explic. loc. utriusque test. pag. 89. & seqq. *Socinus excipit I. Salomonem non præcisè de Dei solius sapientiâ agere, sed de sapientiâ in genere & in abstracto per Prosopopœiam, quasi esset persona aliqua, cum tamen non sit reverâ.*

V. *Resp. r.* Nobis abundè satis est, ea saltem quæ 22. vers. & seqq. dicuntur, ad sapientiam non humanam, sed (quod negare non potest) divinam atque adeò creatricem pertinere. VI,

VI. 2. Nulla solida ratio ostendi potest quare non eadem sapientia ubivis intelligatur, quando in versibus allegatis de divinâ agi manifestè constat. Quanquam enim non sit absurdum de pluribus rebus sub communi nomine plura quandoque dicere, quorum alia ad hanc alia ad illam quasi speciem magis pertineant, (quomodo de liberatione & redemptione populi apud Prophetas passim multa dicuntur, quorum alia temporali liberationi Judæorum, alia spirituali ex captivitate Diaboli, alia gloriosæ in resurrectione, magis conveniunt) similique ratione Mercerus hoc loco priora quidem ad cognitionem Dei patefactam in verbo, præsentem autem versiculos ad filium Dei retulisse videatur: id tamen minimè hic est necesse, nec obscure repugnat contextui ut ex analysi seorsim datâ potest intelligi. Sed hoc non est operæ precium prolixius nunc urgere: quando etiam sine illo id quod volumus obtineri potest.

VII. Profopopœiam verò, quâ velut sensibiliter loquens introducatur qui non sentitur, concessimus cum Mercero cap. I. v. 20. & Lavatero in hoc caput: talem autem vel illo vel hoc loco profopopœiam esse, quâ proprietatem tantum, & quasi accidens Dei, velut persona quædam loquens introducatur, negamus.

VIII. 1. Propter vocem *נָכַד* vers. 22. *possedit, acquisivit*. Quanquam enim latissimè in scripturis hoc vocabulum pateat: haud existimamus tamen ullum ab adversariis exemplum adferri posse, ubi non aliquam productionem vel acquisitionem atque adeò principium rei habitæ vel possessæ fuisse, connotet. At sapientia quæ est proprietas DEI essentialis, non producitur ullo modo, sed inest, imò est ipsa Dei essentia: ea igitur intelligenda est, quam emanasse, productam, genitam vel à Deo affirmare liceat.

IX. 2. Propter vocem *פָּדִינִי* vers. 24. 25. *formata veleditatum*: vel ut Vulgatus vertit, *parturiebar*: quæ similiter probat non de proprietate DEI essentiali, sed de re genitâ & distinctâ ab eo, qui eam possidere atque edere dicitur, sermonem esse. Hæc argumenta tam diu valebunt, donec ostenderint Adversarii hujusmodi voces ac phrasas de aliis Dei proprietatibus in scripturis reverâ usurpari solere.

X. Sed probat Socinus suam fictionem personæ: *Primo ex cap.*

7. 76.

7. v. 4. Dic sapientiae, soror mea es tu, &c. *Quis est tam stupidus, (ita enim loquitur homo acuminis sui certus) qui non videat prosopopœicum esse sermonem, quo significatur, debere unumquemque, sapientiam æmulari, id est, curare ut sapienter se in suis actionibus gerat?*

XI. *Resp.* 1. Non sequitur si ibi est prosopopœia, etiam hic esse.

XII. 2. Non est isthic prosopopœia propriè: Est enim sensus: Amare nos debere Sapientiam ut sororem & sponsam; sicut isthic diximus: *argumento Sirac. 15. 2. tanquam uxor virgo eum excipiet sapientia, &c. Sap. 8. 2. hanc mihi sponsam studii adungere, &c. Cant. 4. 9. ubi eadem soror & sponsa: & ex oppositione extraneæ seu adulteræ Prov. 7. 5. Suntque illa Salomonis ipsius verba, non alterius rei quæ persona esse fingatur, cum non sit persona.*

XIII. 3. Potest & illic per sapientiam persona intelligi; Christus nempe, quem ardentius ac sponsam amari deceat: quamvis eo ipso tempore quo scribebat Salomon, pauci fortè de Christo hæc verba intellexerint. Nec obstat quod sponsæ potiùs quàm sponso compararit Christum. Hoc enim factum uti voci femininæ serviret *כַּמְרָה*, neque hoc loco rei amatae vel sexus, sed amoris & affectuum similitudo attenditur.

XIV. *Secundo argumentatur, non sapientiae tantum sed & intelligentiae mentionem fieri: hæc autem esse diversa: diversas ergo personas orituras.*

XV. *Resp.* Sunt diversa literis ac syllabis, vel ad summum ratione ac modo significandi, sicut homo sciens ac homo consulens vel cogitans, non subjecto & re ipsa. Ac fatetur ipse eandem esse re ipsa, quando per utramque vocem sapientiam in genere intelligit, &c.

XVI. *Tertio argumentatur ex initio cap. 8. ubi manifestum sit, clamorem sapientiae per prosopœiam tribui.*

XVII. *Resp.* Per prosopopœiam, quâ introducitur clamor & sermo personæ qui non sentitur quasi sentiretur, concedimus: quâ persona ipsa fingatur, negamus.

XVIII. *Quarto argumentatur ex initio cap. 9. ubi domus, convivii, puellarum mentio. Neminem tam bardum futurum putat, qui hic prosopopœiam non agnoscat.*

XIX.

XIX. *Resp.* Quod ad conditiones, gestus ac orationem personæ concedimus; quod ad personam ipsam, negamus. Per puellas ministri & legati Dei, veræque adeò personæ intelligendæ sunt, per quas sapientia in foris, compitis, viis & sepibus clamat *Prov. 8. 2. 3. Matth. 22. 9. Luc. 14. 21.* Quod autem puellas potius quam servos vocat, ad decorum sive prosopopœiam actuum & gestuum pertinet, non ad præcisam determinationem sexus.

XX. *Quinto argumentatur contra Posnan. p. 218.* Maximè demonstrari prosopopœiam, quia per antithesin c. 9. mulier quædam stulta introducit, quæ est stultitia non persona, &c.

XXI. *Resp.* 1. Est dissimilitudo in exemplo. Nusquam enim mulier illa stulta se possessam aut genitam dicit, &c.

XXII. 2. Quemadmodum non sequitur, quia אלהים h. e. idola gentium personæ non sunt, ideò ne Jehovah quidem qui iis opponitur personam esse (*1. Paral. 16. 26. Psalm. 96. 5. Psalm. 97. 7. Hab. 2. 18. 19. 20. &c.*) ita, si stultitia persona non est, non illicò & sapientiam personam esse negari potest.

XXIII. 3. Sunt omninò personæ quæ nos seducunt: Satanas videlicet & illius organa, quæ fæminæ comparantur, fictione circumstantiarum certorumque actuum & gestuum, non fictione personæ. Hæc de primâ Socini responsione.

XXIV. *Excipit II.* verba vers. 22. & seqq. non esse sapientiæ sed intelligentiæ: ex vers. 14. quasi reipsâ aliud sit intelligentia & sapientia: & quasi non ex ipso versu 14. *penes me est consilium & essentia: ego intelligentia &c.* manifestum sit (consentientibus hîc etiam Rabbiniis) unam & eandem personam loquentem introduci.

XXV. Nam quod ille probare conatur, non absurdum esse novam prorsus orationem novæ quasi personæ in medio versiculo inchoari, exemplo 2. Paral. 30. v. 18. 19. dissimilitudo inspicienti patet. Aliud enim est unam periodum pluribus versiculis continuari, quod sanè fieri nonnunquam (quamvis accentu Sylluck intercedente, qui alioqui periodos ferè claudit) & in allegato loco, ut & Gen. 23. 17. 18. factû cōcedimus: aliud in eodē versiculo & claudi unius personæ orationē, & alterius inchoari (ut hîc fieri vult adversarius) intercedente duntaxat accentu Athnach, Is enim respondet distinctioni

tionem quam colon vocamus, & quandoque minoribus etiam distinctionibus inservit: periodos autem eo accentu claudi & quidem medio in versu: nullo exemplo ab adversario ostenditur.

XXVI. Excipit III. versum 23. non debere legi cum Vulgato *ab eterno*, sed *à seculo*: quod non necessario aeternitatem significat.

XXVII. Resp. Sat est contra Socinum, *intelligentiam*, de qua hic sermo, fuisse antequam quicquam creatum esset: quod hic significari largitur. De aeternitate contra Arianos post videbimus. Quamquam quando concedit dici quod fuerit antequam quicquam creatum esset, concedit etiam dici quod non sit creatura: Igitur aeterna: Quam de re nota sunt testimonia: Mich. 5. 2. *Egressus ejus ab initio, à diebus aeternitatis.* Hebr. 7. 3. *neq; initium dierum neq; finem vitae habens.* & cap. 13. 8. *Christus heri & hodie ipse & in secula.* Apoc. 1. 8. 11. 17. *Ego sum α & ω , primus ille & ultimus.* Apoc. 21. 6. c. 22. 13. &c.

XXVIII. Excipit IV. eos qui verbum parturiebar Dei filio accommodant, non longè à Turcarum blasphemiam abesse, *quarentium ecqua igitur uxor Dei fuerit?* Vertendum igitur formata sum, ut Psalm. 90. 2.

XXIX. Resp. 1. An igitur propter stultitiam infidelium scommata expungemus etiam illa loca in quibus *DEUS pluvia pater esse, & stillas roris & pruinae gignere, gelu item ex utero ejus egredi dicitur?* Job. 38. 28. 29. Simili modo, vertente Hieronymo, *DEUS ipse parere* Esa 66. 9. & *homines utero ac vulva sua gestare* dicitur Es. 46. 3. Nimirum rectè Oseas dixit: *Recta via Jehovae, & justii ambulabunt in eis, pravaricatores vero corruent in eis* c. 14. 9. & Sirac. c. 33. 2. *qui fide versatur in lege est velut navis in procella.* Convenitque ut iidem sint & sapientiae opinione turgidi & hypocritae & sanniones faceti. Psalm. 35. 16. Act. 2. 13 & cap. 17. 31.

XXX. Malitiosè verò recusat intelligere arguator, verba *gignendi, pariendi, formandi, faciendi*, quando DEO tribuuntur communiter significare veram productionem, non autem specialem habere significatum, ut notent præcisè modum quo homines gignunt, pariunt, formant, faciunt quippiam; quasi corporis nisu pareret DEUS, aut formaret quippiam inducendo figuram tantum rei præexistenti, non producendo ipsam rem & substantiam.

XXXI.

XXXI. Quis enim ignorat quæ vocabula communiter tribuuntur DEO & creaturis, à speciali ratione quam in creaturis significat ad generalem quandam rationem quasi abstrahenda, vel ut benè monet Achanasius dial. 1. de Trinit. quæ ἀνθρώπων πνεύμα de DEO dicuntur ἰσότητος, intelligenda esse? Plerumq; enim ut eleganter Hilar. l. 12. de Trinit. per hæc nostrorum corporum membra, operationum suarum nobis DEUS momenta significans, sensum nostrum usu intelligentia communis edocuit. Et paulò post: Nonne significatio quæ ex utero DEUS DEUM genuit, vera nativitatis ostensio est? Non quod ex utero genuerit, sicuti nec per manum agat, nec per cor velit: sed quia per significationem harum verè omnia & agat & videat & velit, ita per significationem uteri verè ex se genuerit quem genuit, non per causam uteri sed ad veritatis genuinam professionem: sicuti nec per causas corporum aut velit aut videat aut agat, sed utatur his partium nuncupationibus, ut per corporaliū ministeria virtus efficiendarum incorporaliū sentiatur. &c.

XXXII. Ut igitur res ipsa, non aliquid in re quasi in materiā productum significaretur, nihil significantius esse potuit vocabulo חוללת, à חול parturire, eniti. Confer Prover. 26. 10. Magnus מחולל b. e. formans omnia, non aliquid ex materia præjacente sed rem prorsus ipsam producendo. Sic Psalm. 90. 2. quem allegat adversarius: Priusquam montes nascerentur, vel gignerentur aut parerentur ילדתי & formares terram, חוללת &c.

XXXIII. 2. Legamus sanè formatam fuisse sapientiam, ut vult Adversarius, manebit nihilominus de re subsistente ac reverà productā sermonem esse, donec ipse hunc loquendi modum de proprietatibus divinis etiam usurpari probaverit. Est fortassè proso-
 popœia quædam, quando misericordia & veritas sibi obviare, justitia è
 cælo prospicere dicitur Psal. 85. 11. 12. quod Enjedinus objicit, (nisi
 in abstractis concreta, homines misericordes, DEUM justum ma-
 lis intelligere) sed quis non videt longè aliud esse actum & munus
 quoddam certæ virtuti tribuere, aliud emanationem & processio-
 nem qualem possidendi & formandi voces hoc loco includunt?
 Quare non prius speciem habebunt exceptiones hujusmodi, quàm
 ostenderint, possessum ac formatum aliquid, verbis qualia hîc u-
 surpan-

surpantur, dici, quod tamen constet nihil aliud quam proprietatem
divinam esse.

XXXIV. *Objicit* denique Socinus necesse esse ut dicamus Christum
ut sapientiam Dei genitam, esse in ipso DEO: at quicquid est in
DEO secundum nostros est ipse D E U S. Ergo Christus erit sapientia
Dei essentialis, quod est absurdum.

XXXV. *Resp.* Concludere debebat: Ergo Christus est ipse Deus,
qui habet sapientiam essentialem, communem tribus personis, &
est simul sapientia substantialis, seu hypostatica: hoc est, *splendor, character,*
& quasi *speculum* substantiæ patris, in quo seipsum contem-
plans, tanquam in *imagine, alumno & filio* unitissimo, ineffabiliter
gaudet & acquiescit. *Hebr. 1. 3. Matth. 3. 17. & hoc capite v. 30.* quod
nequaquam est absurdum sed longè verissimum.

XXXVI. *Instat Primò:* Petitionem principii esse, quod dici-
mus Christum & esse Deum, nomen Dei communiter accipiendo, &
esse filium ac sapientiam personalem Dei, nomen Dei personaliter
accipiendo, eò quod hoc modo pro concessio sumatur in uno DEO
esse plures personas.

XXXVII. *Resp.* 1. Opponens petit principium, quando pro-
bat idem per idem: non Respondens, quando (ut necesse est in pro-
cessu disputationis) ponit sententiam suam tanquam veram & con-
sentaneam sibi ipsi, donec per scripturas ab adversariis refutetur.

XXXVIII. 2. Quemadmodum ipsis ad eludendum testimo-
nia nostra satis videri solet, *posse* alium vel alium esse verborum sen-
sum, etiam si nihil præcise asserant ac probent: ita nobis satis est, *posse*
nomen Dei non tantum personaliter, sed & communiter accipi.
Eo ipso enim infringitur vis objectionis ab absurdo.

XXXIX. 3. Probata est pluralitas personarum ex eo ipso,
quod sapientiam aliquam ante creaturas à Deo reverè editam fuisse
ostendimus.

XL. *Instat secundo:* Quamvis darentur plures personæ, proban-
dum tamen esset simplici Dei nomine unam tantum ex istis personis
significari.

XLI. *Resp.* 1. Non probandum, sed ab opponentibus adversa-
riis ut absurdum & impossibile refellendum.

XLII. 2. Patet idipsum per se: quemadmodum cum Christus filius hominis appellatur, vocabulo *hominis* nec omnes simul, nec naturam communem, sed certum individuum seu personam significari manifestum est. Eodem rursus modo cum *DEUS* dicitur redemisse Ecclesiam suo sanguine. Act. 20. 28. *DEUS* manifestatus in carne 1. Tim. 3. 16. *DEUS* benedictus in secula. Rom. 9. 5. *Magnus DEUS ac Servator noster Jesus Christus* Tit. 2. 13. neque Patrem neque Spiritum sanctum sed filium propriè intelligimus.

XLIII. *Instat Tertio*; Probandum etiam esset illam unam personam quæ 1. Cor. 1. 24. & hoc loco v. 22. Dei vel Domini nomine appellatur, sit ipsius Christi Pater.

XLIV. *Resp.* Sequitur hoc manifestè ex prioribus, comparatis ad analogiam scripturarum & fidei. *Primo* enim patet ex loco præfenti (ut taceamus alios parallelòs tam Veteris quàm N. Testamenti, multò etiam clariores atque urgentiores) esse aliquam sapientiam productam reverà ante alia omnia, ac proinde distinctam à producente: ut hactenus ostensum.

XLV. *Secundo* patet nullam aliam sapientiam ante secula productam ex Scripturis sumi aut fingi posse, quàm eam, quæ (ut diximus thesi 2. 3.) & sapientia & λόγος & filius Dei unigenitus alibi appellatur. Luc. 11. 49. Matth. 23. 31. Joh. 1. 14. &c. Nec enim uni pueriliter loco insistendum est, ut (quod perpetuum est adversariorum studium) si singulos seorsim possis fortè suspectos reddere, de omnibus illicò triumphandum putes. Tota sanorum verborum hypotyposis, fideique ἀναλογία, πανοπλία, συμβιβασμός & σωφροσύνη intuenda, sobriaque τῶν πνευματικῶν σύγκρισις instituenda: quod si fiat pudebit nos coactarum longèque petitarum interpretationum: & quod seorsim leve videbatur, quando consentit multis, minimè contemnendum, à modestis omnibus judicabitur.

XLVI. Atque sic *tertio* etiam patet producentem illum cujus hic mentio, nullum nisi Patrem J. Christi esse posse. Sed tergiversatio est mera in his instantiis, quia si crederent adversarii sapientiam aliquam subsistentem reverà à DEO ante secula prodisse, non est dubium quin & sapientiam illam Christum & producentem personam Patrem esse facile largituri sint.

XLVII.

XLVII. Addamus nunc & Enjedini argumenta, quibus, præter ea quæ ex Socino prius attulimus, Profopopœiam suam probare nititur. Primò testem allegat authorem libri Sapientiæ: c. 7. 8. 9. *Ille igitur, inquit, c. 7. 8. 9. eadem quæ hîc legimus de Sapientiâ scribit: sed ita tibi clarè explicatur, non de aliâ, quàm eâ quam Salomon à D. E. O. postulavit & accepit scientiâ haberi sermonem, ut non possit aliò transferri.*

XLVIII. *Resp. 1.* Non sequitur, si apocryphi libri autor canonicum scriptorem incommodè imitatus & mentem illius non satis fortè assecutus Profopopœiâ usus esset: eandem etiam Spiritui sancto tribuendam esse.

XLIX. *2.* Falsissimum est Profopopœiam esse in loco allegato, atque adeò per sapientiam, qualitatem & perfectionem quandam, *subjectivè*, ut in scholis loquimur, Salomoni inhaerentem intelligendam esse. Atqui inquis, postulavit & accepit illam à Deo. Quid ergò magis rogandum est nobis quàm communio & cohabitatio Christi extra quem nec est salus ulla nec consilium? qui & *donum & consiliarius* appellatur Esa. 9. 6. Rom. 8. 32. qui & hoc ipso capite *penes se consilium esse seq; in astutiâ*; h. e. astutis spiritualiter seu fidelibus *habitare* dicit? *vers. 14. & 12. Conf. Eph. 3. 17. Gal. 2. 20. Job. 14. 23. &c.*

L. Creatricem enimverò sapientiam, cohabitatricem magistram & consiliatricem sibi à Salomone exoptatam fuisse luce meridiana clarius est omnibus qui apertis oculis locum inspicere & considerare voluerint. Cap. 7. 21. & seqq. *omnia*. inquit, *quæ sunt recondita & aperta cognovi: nam omnium artifex πάντων τεχνῆς sapientia me docuit. Est enim in eâ Spiritus intelligens simplex, multiplex, humanus, omnipotens, omnia prospiciens, &c. πνεῦμα μονογενές, πολυμερές, Φιλάνθρωπον, παροδωάουον, πατερισκοπον. Propter suam puritatem per omnia permeat. Est enim vapor virtutis Dei, & defluxus gloriæ omnipotentis sincerus: quapropter nihil polluti in eam cadit. Etenim lucis aeternæ splendor est (ἀπαύγασμα) atq; speculum virtutis Dei, nullâ maculâ aspersum, ejusq; imago bonitatis (conf. Hebr. 1. 3. Qui cum sit splen-*

Plendor gloria & character subsistentia ipsius &c. Col. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis &c.*) Et cum sit una, omnia potest: & in se permanens omnia innovat, ac singulas per aetates in sanctas se transferens animas, amicos DEI, Prophetasq; efficit. (Conf. 1. Pct. 1. 10. 11. De qua salute exquisierunt Prophetæ, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, præ-nuncians &c.) Neminem enim diligit Deus, nisi qui cum sapientia consuetudinem habeat, &c. (conf. Act. 4. 12. Non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Eph. 1. 22. ipsum dedit caput super omnia &c. Act. 15. 11. Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi &c.) & c. 8. 1. Attingit à fine usq; ad finem fortiter & disponit omnia suaviter. Hanc amavi, & quasi sponsam mihi eam assumere, &c. & vers. 17. Hæc cogitavi apud me & commemoravi in corde meo, quoniam immortalitas est in cognatione sapientie, & in amicitia ejus delectatio bona &c. & cap. 9. v. 9. & seqq. Tecum sapientia tua quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum in oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Mitte illam de cælis sanctis tuis & à throno gloriæ tuæ mitte eam, ut præsens mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentiâ. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? &c. nisi tu dederis sapientiam & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis. (Conf. 1. Cor. 2. 11. 16. Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? &c. Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? nos autem sensum Christi habemus.) Plura vide in ipso textu. Quis autem dicat hæc omnia ad virtutem seu qualitatem pertinere quam Salomon sibi expetiverit: nisi qui eum creatorem, omnipotentem, omniscium, Deum fieri voluisse auctus contendere? Atque hoc ipsum propemodum dicit adversarius, quando

quando ita concludit: *Expresse scribitur, illam sapientiam, per quam Deus condidit mundum, postulasse Salomonem a Deo. Atq; illam etiam impetrasse, & ibidem in sequentibus affirmatur & historia sacra in libr. Regum docet.* Quod si non de cohabitatione sed de inhæsiōe intelligitur, equidem non intelligo, quomodo sine palpabili absurditate dici possit.

L. Secundus hujus loci interpret, inquit adversarius, esto Siracides. Is quoq; cap. 24 per Prosopopœiam de sapientiâ loquitur, & conformia illi prædicata, bis que hic legimus attribuit. Unde apparet illum quoq; de hac eadem sapientiâ loqui. Non autem agi de λόγῳ aliquo æterno duobus argumentis probat. I. quod illa sapientia bis se à Deo creatam dicat v. 12. & 14. II. quod v. 32. expresse dicatur hanc sapientiam esse legem Dei per Mosen traditam.

LII. Resp. 1. idem quod supra diximus: si quid in libro apocrypho inconveniēter & incommode dictum esset, non ideo & libro canonico similem loquendi modum affingendam esse, &c.

LIII. 2. Locus est dissimilimus. Si enim sapientia hoc loco est lex per Mosen tradita ut vult adversarius: patet, quod v. 14. ante secula creata dicitur, de prædestinatione & consilio Dei intelligendum esse. Quemadmodum dicitur 2. Reg. 19. 25. Esa. 37. 26. A longo tempore id feci, à diebus antiquis formavi illud, nunc evenire feci illud, &c. At hoc loco sapientia ludens omni tempore coram DEO, sese ante omnes creaturas, possessam, genitam, apud Deum fuisse, quando prepararentur cœli illic fuisse &c. Sicut alumnū in deliciis fuisse dicit: quod tam aperte veram existentiam evincit ut ne Socinus quidem ipse de Sapientiâ creatrice hæc intelligenda esse negare possit.

LIV. 3. Videntur omninò verba illa versus 32. Hec omnia liber sunt fœderis Dei altissimi: Lex quam nobis mandavit Moses, &c. non ad ipsam propriè sapientiam sed ad fructus sapientiæ, ad memoriam & hereditatem ab illa ortam, de quibus præcedentibus vers. 26. & seqq. egerat, referenda esse. Accedite ad me, inquit, & de fructibus meis explemini. Nam memoria mei melle dulcior est, & hereditas mea suavior favo mellis, &c. Hec omnia liber sunt fœderis, Lex quam nobis mandavit Moses, hereditatem in congregationibus Jacob. Nempe quia verbum Dei quod per Legem significatur, est fructus sapientiæ &

tia & memoriale Dei, & metonymicè loquendo hereditas, vita, san-
tas animæ nostræ. Conf. Prov. 4. 13. 22. *Loquia mea vita sunt inveni-*
entibus ea & universa carni suæ sanitas. Deut. 32. 47. *Verbum est vita*
vestra, &c.

L V. Confirmatur hæc expositio 1. quod, si ad sapientiam re-
spexisset dicendum fuisset, *αὐτὴ βίβλος*, Hæc est liber, &c. non *ταῦ-*
τα τῶ ἀντὶ βίβλος. Hæc omnia sunt liber, &c. 2. quod mox Deus
fluminibus Paradisi omnia irrigantibus comparatur: & ipsa rursus
sapientia vers. 40. *Ego sapientia, inquit, quasi fossa è flumine ducta &*
quasi aque ductus in Paradisum exivi. Ut toto capite sapientia loqui
intelligatur, nisi quod versu 32. & 33. explicetur, quid per fructus,
memorian, hereditatem in prioribus intellexerit. 3. vers. ultimo
dicit: *Videte non mihi soli me sed omnibus sapientiam quærentibus la-*
borasse. Hæc non nisi ineptè legi Mosaicæ videntur ascribi posse.

LVI. Restat igitur secundum hanc expositionem objectio so-
lummodò ex verbo creandi. Sed in hoc vel est *catacresis* & *ἀκρογ-*
λογία authoris apocryphi, vel *synecdoche* ut in verbis pariendi, gi-
gner. ., formandi: quâ de re in sequenti quæstione contra Arianos
plura dicturi sumus.

LVII. Tertiò allegat testimonium *Fulgentij*, quem ait, *bunc lo-*
cum ad Christi ex Mariâ nativitatem non ad aternam generationem
decorquere: Item recentiorum. *Melanchthon*, inquit, *Munsterus, Bu-*
cerus, Lavaterus, Mercerus in suis *Commentariis* ostendunt hæc verba
non de Christo loqui. &c.

LVIII. *Resp.* 2. Jam initiò diximus, paucorum diffidentiam
aut intermissionem, qui evidentiora alia urgere maluerint, nihil fir-
mitati argumenti nostri præjudicare posse. Sed adversarii qui ei ar-
gumêto quod infirmum à nonnullis judicatum fuit nihil solidè op-
ponere possunt, de firmiorum solutione tantò magis desperare de-
bent.

LIX. 2. De *Fulgent. Lav. Merc.* falsissimum est quod dicit ad-
versarius. *Fulgentius* de totâ Personâ Christi sermonem esse vult,
& *versum 22. creavit me, &c.* secundum vers. LXX. int. ad humanita-
tem restringit, ex reliquis divinitatem naturalem & æternitatem pro-
bat: quod quidem ei cum *E. piphansio her. 69. Nazianzeno Orat. 2. de*
C fil. Au-

fil. Augustino l. 1. de Trin. c. 12. & aliis Veteribus commune est. Ut na-
tivitytas divinitatis ejus, inquit, sine initio cognoscatur, debet attendi
quod sequitur. Priusquam terram faceret &c. ante omnes col-
les genuit me. Istud ante cum dicitur, omne prorsus initium prevenitur.
Quod considerandum est, quia ubicumq; illa divina & aeterna demonstra-
tur filii nativitytas, non dicitur quando natus sit, sed ante semper ponitur,
ut quicquid homo infinitatis aeternitatisq; cogitare voluerit, ante omne
quod cogitatione concipitur, filii semper nativitytas cogitetur, &c. La-
waterus diligenter commendat locum, & quia de Christo loquatur
imprimis expendendum monet. Lektionem textus Graeci corrigi-
& pro ἐκ τῆς creatur, ἐκ τῆς h. e. possedit, legendum esse contra Arias-
nos contendit: aeternam generationem aeternumque Patris amorem
ex loco toto asserit. Nihilque penitus invenimus quod allegare
queat adversarius, nisi si illud forte pro se dictum putat, quod initio ca-
pitis hoc modo loquitur: *Primo loco sapientiam per Protopopaeiam in-
ducit (nempe qualem & nos supra admisimus) quae omnes homines
ad se invitat. Per sapientiam quia intelligunt cognitionem Dei quam habe-
mus ex verbo ipsius, atq; adeo ipsum Verbum Dei. Veteres Theologi i-
psum Christum intelligunt ut supra (c. 1. 20.) ostendimus. At priore
expositione relictam posteriorem hanc se probare & sequi adeo ma-
nifeste in sequentibus ostendit, ut ea de re nemo oculorum & mentis
compos dubitare possit. Mercerus initio quidem cap. 8. describit
sapientiam quod sit Dei cognitio & certa ac aeterna divinae mentis & vo-
luntatis norma, nobis in verbo ejus jam inde ab orbe condito expressa &
patefacta, vel in mentibus nostris vel exterius in verbo, &c. infra ta-
men in expositione praesentis loci: Nec dubito, inquit, hinc Johan-
nem augustum illud & magnificum Evangelii sui initium sumsisse, In
principio erat verbum, &c. nam Verbum & Sapientia idem sunt & se-
cundam Trinitatis personam indicant. Et cap. 1. ad ver. 23. Loquitur,
inquit, Sapientia, id est Dei filius, &c. Quare vel in communi Sapi-
entiae nomine alibi intellexit, ut supra diximus, quemadmo-
dum & Siracides c. 1. 1. & seq. Omnis sapientia a Domino, & cum eo
est in perpetuum. Rerum omnium prima creata est sapientia, &c. vel
ipsum Dei filium (licet obscurius loquendo) mentis divinae nor-
mam. h. e., mentem quae esset norma nobis sese patefaciens, appella-
vit, &c.*

vit, &c. Hæc ideo prolixius fortè quàm opus erat, ut tantò magis cogitemus, quid tandem in aliis iis credendum sit, aut qualis ab iis praxis pietatis expectanda (cujus unicè alioqui studiosi videri volunt) qui *non dubitant per sapientiam secundam Trinitatis personam* hic significari, imò & aliis *urgentibus* expressè præsentem locum contra Antitrinitarios, id tribuere, quod *vel non referant eum ad æternam generationem, vel aliter etiam ostendant in suis commentariis hæc verba non de Christo loqui*, non existiment mendacis esse. Eiusdem propemodum fidei videtur quod post initium responsionis suæ dicit, nostros contendere, *hic nihil figuratè sed omnia propriè dici*. Idg. *nimis absurdum, imò impudentis & indocti esse* ait, homo modestissimus. Atqui nos in ipsis *possidendi, formandi, pariendi* vocibus & *Σεωπονία* vel synecdochen, voces à speciali usu ad communem significatum transferentem, agnoscimus, nedum in aliis, ut *ludendi, clamandi, domus, columnarum, pulverum orbis, &c.*

LX. *Ultimo argumentatur ex scopo præfationis. Quia prioribus 9. cap. præmiū contineatur, &c.* Vim argumenti obscurè explicat. Videtur tamen hoc velle: commendare Salomonem eam sapientiam, ejusque studium excitare cupere, quam sequentibus deinceps sententiis à cap. 10. traditurus erat. Atqui ibi non substantialem aliquam tradit, &c.

LXI. *Resp.* Non ipsam illam loquentem introducit, neque solum præcisè commendat, quam sequentibus post sententiis præscripturus erat: alioqui enim sequeretur pietatem nostram & pios ipsos ante orbem fuisse, per illam coelos præparatos, circulum in superficie abyssi descriptum, fuisse alumnum, lusisse coram ipso: imò nos quoque si pij simus novos fortè orbis olim condituros esse. &c. Nam de Sapientiâ creatricæ sermonem esse manifestum est: & confirmatur collatione cap. 3. 19. 20. *Jehova in sapientiâ fundavit terram, &c.* & loci Sap. c. 7. 8. 9. quem adversarius ipse supra allegabat.

LXII. Scopus autem præfationis totius est persuadere nobis ante omnia commune & fundamentale religionis præceptum *de timore Domini*, quod & primo capite ab initio proponitur & in nono repetitur, antequam ad particularia alia ex professo descendat. *Timor autem DOMINI* continet & odium mali seu *contritionem cordis* cap. 8. v. 13. *Timor Domini est odio habere malum, &c.* &c.

fidem in Christum, quò pertinet illud convertimini ad me, intelligite, audite, comedite panem meum, &c. cap. 1. 23. cap. 8. 5. 6. c. 9. 5. &c. (Caritas enim ad gaudium, satietatem, amorem potius quàm ad timorem pertinet ar. 1. Joh. 4. 18.) Hunc igitur timorem ut nobis persuadeat, nihil aliud ferè agit in præfatione quàm ut hortetur, vel ad credendum sapientiæ & legatis ejus paternè monentibus, vel ad non credendum aut obsequendum seductoribus: nominatim mulieri extraneæ, stultæ c. 5. & 6. & 7. & 9. v. 13. & seqq. & ipsam demum Sapientiam Dei, autoritate suâ utentem, suamque divinitatem, æternitatem, potentiam, bonitatem prædicantem introducat, ut intelligamus ei unicè fidendum, ad eam confugiendum, in ea acquiescendum, quæ uti naturalia omnia potentissimè & sapientissimè creat atque ordinat, ita multò magis & fideles suos benignissimè, potentissimè, sapientissimè beatura sit. Hæc omnia & in primo capite summam præstantur & in sequentibus repetuntur fusius: ut in analysi seorsim pluribus dictum fuit. Simili consilio Deus Job. 38. & seqq. bonitatem & sapientiam in rebus naturalibus lucentem enarrat: ut evincat, nunquam eandem in morali rationalium gubernatione per impatientiam accusandâ esse. Etsi autem non omnibus in V. Test. hæc expositio perspicua fuit, non magis quàm multa quæ in Psalmis & Prophetis de Christo dicta fuerunt: nobis tamen remoto divinitus velo, menteque apertâ, 2. Cor. 3. Luc. 24. 45. minimè hodiè obscura aut incerta haberi debet.

Quæstio II.

An Christus substiterit ab æterno ut Patri æterno ὁμοῖος?

I. Argumentum pro affirmativâ parte rursus suppeditat locus præsens contra Arianos. Primò ex voce *ἄκτιστος* vers. 23. *ἄκτιστος* enim ab *ἄκτιστος* latere, occultum esse, propriè æternitatem significat, cujus initium & terminus absolutè latet, quia nullus est: metaphoricè autem fatemur significare etiam quandoque diuturnum tempus, cujus principium aut terminus nos vel pleròque lateat, longiusve saltem ab oculis & sensu nostro remotus sit. ut Jerem. 2. 20. Luc. 1. 70. Exod. 12. 24. & cap. 21. 6. &c.

II. Hic verò propriè usurpari circumstantiæ textus arguunt, &c.

& repetitio totuplex ejusdem rei, quæ apud Hebræos regulariter ad
augendum adhiberi solet. Nec ostendi potest exemplum ubi hæc
vox in similibus textus circumstantiis tempus diuturnum duntaxat
significet. Accedit collatio aliorum locorum plurimorum qui æ-
ternitatem Christo tribuunt: veræ item divinitatis natura quæ non
nisi verè & propriè æterna esse potest. Quæ de re dictum jam aliquid
Q. I. thes. 27.

III. Secundò ex voce *IND ex tunc*, quæ cum de DE O usurpatur,
nec per circumstantias textus restringitur ad certum tempus, nihil
aliud aptè significare potest, quàm generaliter, *omne tunc*, ut ita lo-
quar, hoc est omnem durationem de quâ ullo modo dicas, tunc ali-
quid fuisse. Confer Psal. 93. 2. *Stabilitum solium tuum ex tunc, &c.*

IV. Simile est illud Esa. 43. 13. *אני מ' die ego ipse sum: &c.*
ab æterno: quasi dicas, omni spatio quod instar diei sive durationis
alicujus possis concipere. Sic Job. 1. 1. *In principio erat Verbum, h. e.*
quodcumque tu principium cogites, non tum incipiebat sed *jam* erat
Verbum, *neq; initium dierum neq; finem vita habens.* Heb. 7. 3.

V. Affine & illud est quando Deus sine determinatione tempo-
ris *hodie* aliquid agere dicitur ut Psal. 2. 7. *Ubi enim dies nec hesterni
sine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est,* ut in-
quit Augustinus in Enchirid. c. 49.

VI. Tertiò probatur idem ex verbis *ante opera sua* vers. 22. jun-
ctis sequentibus, *ante terram, ante voragine, &c.* quibus verbis non
à temporis tantum terminis, sed ex ordine etiam operum divinorum
sive creaturarum propriè sic dictarum, non obscurè eximitur. Simi-
lis phrasis Eph. 1. 4. *πρὸ καταβολῆς κόσμου.* 2. Thes. 2. 13. *exponit
ur ἀπ' ἀρχῆς.* 2. Tim. 1. 9. *πρὸ χρόνων αἰώνων,* ubi sine dubio æter-
nitas intelligitur. Haud etiam alienū est, quod Hilarius l. 12. de Trinit.
preparationem ætatorum æternam intelligit in Dei mente ac decreto
factam, cui se sapientia affuisse dicat v. 27. *Quæ enim futura sunt, in-
quit, licet in eo quod creanda sunt adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis
rebus nihil novum ac recens est, jam facta sunt: dum & temporum di-
spensatio est ut creantur, & jam in divina virtutis & præscientiæ efficien-
tia sint creata, &c.*

VII. Objiciebant Ariani verbum *ἐκ τοῦ* creavit, ex versione LXX.
interp. & Sir. 24. 14. Sed præterquam quod *versio* non convenit, fa-
cilis

cilis est etiam admiffa illa responsio. Non tantum si cum quibusdam Veterum prophetice de Persona incarnata dicamus sermonem esse, & κλισμα μὲν λέγουσιν τὴν σοφίαν καὶ τὴν κατὰ ἁγνήσιν. ἁγνήσιν δὲ καὶ τὴν πρῶτην καὶ τὴν λέον ἀληθινόν. Creaturam quidem dici sapientiam secundum eam quae infra sit generationem: genituram autem secundum primam & magis incomprehensibilem ut Nazianz. loquitur. Orat. 2. de fil. verum etiam, si cum aliis in creandi verbo improprietaem esse asseramus.

VIII. Quidni enim creandi vox aequè ac gignendi & pariendi à speciali ad generalem significatum transferri possit? Ut creavit sit idem quod produxit reverà, sine mutatione sui, vel constituit, ordinavit, ut Eusebius explicat apud Socratem lib. 2. c. 17. Sic Patres Graeci passim Patrem ἀληθινόν i. e. causam Filii improprie appellarunt, pro quo nos generali verbo principii utimur, &c.

IX. Hanc responsionem Bellarminus quoque ex Hilario de Synod. can. 5. & Thoma lib. 4. cont. gent. c. 8. maxime laudat lib. 1. de Christo c. 18. *Filius Dei, inquit, ita producit, ut recipiat substantiam gignentis, & ea ratione dici potest generari: sed recipit sine mutatione producentis, & ea ratione dici potest creari. Utrumque dicitur ut ex utroque sumatur quod est perfectionis, & quod est imperfectionis omittatur.* Verba Hilarii sunt: *Perfecta nativitatis intelligentiam creationis & generationis attulit sermo: cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturae est. Fitque utrumque unum & unum utrumque perfectum: dum & filius ex Deo ac sine demutatione Dei natus est, & ex Patre nascitur ut creetur, & immutabilis ex se & naturalis filio Pater, sic filium condit ut generet. &c.*

Quaestio III.

Quomodo intelligendum quod vers. 30. Sapiencia alumnus Dei, & in deliciis apud eum fuisse, & lusisse coram eo omni tempore dicitur?

I. Explicat hunc versiculum ipse Deus, quando Matth. 3. v. 17. de Christo dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: vel in quo acquiesco seu delector.* Christus enim summè Patrem lætificat,

cat, ut rectè hoc loco Lavaterus dixit, quem in diversam sententiam ab Enjedino falsò raptum fuisse, ante diximus.

II. לֵדָן cum R. Salomone passivè pro *alumno* accipi convenientius est, quàm cum R. Levi pro *nutritio*, quod propriè est לֵדָן aut cum Vulgato pro *artifice*, quod est לֵדָן .

III. Confirmatur hoc ipsum, quando se *delicias & gaudium Domini* fuisse: item *omni tempore* (h. e. ab æterno, ut includatur tum quod revera est tempus, tum quod à nobis instar temporis cujusdam concipitur) *coram eo luisse* dicit.

IV. לֵדָן ludit, aliquando *gaudij* est, aliquando *irrisionis*. Hic autem de gaudio sine dubio accipiendum est: ut Participium ludens in Pihel: dem sit quod *delectans, exbilarans*, more pueri qui alatur gaudiumque parenti conciliet, ut Mercerus hic notat.

V. Consideratione imprimis dignum est verbum לֵדָן *delicia*, quod est à לָדַן quod significat respicere, vel ut Mercerus in Thesauro notat, blandum gestum in genere ejus, qui se ad aliquid applicat, hinc verbum in Pihel לֵדָן blandè & amanter seu cum voluptate complecti, vel cogitatione & contemplatione rei alicujus impense oblectari: unde nomen derivatum blandos & amabiles amplexus, suavem & jucundam contemplationem significat. Psal. 119. 24. 77. 92. Jerem. 31. 20. Es. 5. 7.

VI. Ex his patet convenientissimè huic mysterio loqui Theologos, quando docent *Christum esse λόγον & sapientiam Patris, quia genitus est cogitatione intuenste se & cogitante imaginem sui non evanescentem sed subsistentem, ipsi Patri consubstantialem & coeternam*. Nota sunt verba ex Ursino in *Catechesi quest. 31. Philippo in examine loc. de Deo quest. 4. 5. & c.*

VII. Et quanquam nihil determinatè & appositè satis de hoc mysterio loqui possumus: tamen si nostrum saltem concipiendi modum attendimus, non potest intelligi, quomodo Deus ab æterno intelligat, gaudeat, acquiescat, nisi sit aliqua in Deo pluralitas. Intelligere enim & gaudere sunt vocabula relativa: Relatio autem omnis est inter plura. Sic homo distinctum aliquid intuendo (puta vel objectum externum, vel cogitationes saltem suas) intelligit: & distinctum aliquid appetendo gaudet, in distincto quiescit, & c.

VIII.

VIII. Fuit ergo ab æterno aliqua imago, character & quasi speculum substantiæ Patris, quo contemplando seipsum perfectissimè intelligeret *Hebr. 1. 3. Sap. 7. 26.* Habuit quoque aliquid Deus per veram *unionem & distinctionem*, quod perfectissimè sibi placeret, & in quo voluntate suâ ineffabili consensu lætitiâ acquiesceret.

IX. Quare benè collegerunt Veteres contra Arianos, quod ij, qui Christum aliquando non fuisse dicerent, Deum & Sapientiâ & consequenter gaudio aliquando caruisse fingerent. *Theodoret. l. 1. hist. c. 4. Socr. l. 1. c. 3.*

X. Quanquam enim & *archetypus & character*, quod ad substantiam sive essentiam ipsam attinet, *intellectus*, h. e. splendor & lux quædam sint spiritualis atque invisibilis oculis corporeis *1. Tim. 6. 16.* nequit tamen intelligi quomodo *actu aliquo relativo* in seipsa redeat & reflectantur, nisi in distincto aliquo quasi resplendeant.

XI. Atque hætenus accipimus argumenta quibus Keckermannus in Syst. Theol. c. 3. aliq̄ue pluralitatem personarum in Deo ostendere conantur. Non quod fidem hujus mysterij ratione naturali putemus niti: sed quod consequentias & rationes nostras, fundamentum in scripturis habentes, si ad objectiones & consequentias adversariorum comparentur, speremus difficilius quàm istas solvi posse. Quod ijs qui rationem in eodem cum scripturis autoritatis gradu collocant, hætenus ad minimum prodesse debet: ut argumentis & ingenio suo discant diffidere.

XII. Huc pertinet & aliud argumentum analogum præsentis loco, & *Esa. 66. 9. Ego qui generationem aliis tribuo sterilis ero?* &c. quod Scotus & qui illū sequuntur imprimis urgent in *1. Sent. d. 2. q. 4.* Cujus argumēti hæc videtur esse summa: *Productionem quia imperfectionem non dicat, sed perfectionis potius comes sit, in D E O etiam ab æterno ponendam esse.* Hætenus intellige, quatenus sine illâ productione, infinita D E I *ἐνέργεια*, intelligentia, amor, lætitiâ & quies non potest concipi. Ne quis fortè arguatur, aliarum deinceps infinitum personarum productionem hinc secuturam esse: non considerans, *actum relativum*, intuitum, consensum & unionem perfectissimam, in procedente quidem etiam sine ulteriori productione cogitari posse, non item in eo *qui nec procedat ab alio nec producat.*

Aucat. Quod enim comitetur perfectionē productio, asserit schola; nō quod ita sit etiam ipsa perfectio, ut si quid sit æquale producenti principio, & in eodem perfectissimè gaudeat seu quiescat, nec producat tamen porrò quippiam, ideò imperfectum esse censendum sit. Neque alio modo accipienda videntur Henrici Gandavenis & Bonaventuræ argumenta, quos reprehendunt Scotistæ; *Virtutem infinitam esse sui diffusivam infinite: summum bonum esse sui summè communicativum: Summa perfectionis esse producere sibi simile univocè, &c.* Sed non est nobis laborandum de illorum verbis aut sententiis, imò vel allegare fortè supervacuum fuerit; qui dum nullā communi gentis linguā, sed suā quasi propriā loquuntur, utili sapè doctrinæ tenebras magis quā lucem afferre: dumque suā sibi singuli dialecto & phrasi placent, non felicius, quod instituere scientiæ ædificium absolvere videntur: quā turrim olim Babylonicam, ij qui in nova ac diversa loquendi genera abeuntes, animis tandem & operibus quoque dissidere cœperunt. Gen. II. Sufficit argumentum ipsum quod scripturæ phrasis subindicat, verbis & exemplis, vel vestigiis potius, obviis ac communibus declaratum, intelligi ab ijs, qui nec negligenter nec spinosè nimis in ejus consideratione versari voluerint.

XIII. Est enim verò admirabile imprimis in naturā, & inexplicabile, ut videtur, humano ingenio, quā ratione fiat, ut lumen v. g. à luce, calor à calore, animans ab animante ita procedat, ut de producente tamē nihil depereat. *Creatan. natura* (ut inquit Cyrillus l. I. thesauri cap. 7.) *virtute divina formata est fecunda per gratiam, ad divina fecunditatis similitudinem, quæ verè ac propriè fecunditas est, &c.* Quanquam autem efficientium causarum, quæ in materialis quoque causæ rationem incidunt, amittere aliquid quasi decisum ex corpore suo soleant: efficiens tamen *homogenea*, quā efficiens, non amittit aliquid, sed tota eademque ipsa existens producit rem similem: & quantò magis similem eandemve producit, tantò perfectior est. Quicquid hîc de formarum ex potentiâ materiæ educatione Philosophia dicat, obscurā phrascos novitate, novum & peculiare aliquid de re ipsâ exponi simulans: nunquam satis hoc tenue saltem infinitatis primæ causæ vestigium ratio humana comprehendet: quomodo for-

D

do for-

do forma quæ non extiterit *in re*, ita *à re* alia existat ut tamen nihil *ex forma* efficientis propriè diminuatur ac defluat. Nempè *non potest homo invenire rationem eorum quæ sunt sub sole, & quanto plus laboraverit ad quarendum tantò minus inveniet: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Eccl. 8. 17. Atque *ista demùm sunt partes viarum ejus* (de quibus plura Jobi c. 38. & seqq. & Psal. 104. & 139. & passim alibi) *& quàm pusillum est quod audivimus de eo?* Job. 26. 14. quantò igitur magis, qui in quotidianis atque obviis hisce titubamus, de tremendis divinitatis mysteriis cum Mose dicemus? *Abscoudita Domino Deo nostro: & quæ revelata sunt, nobis & filiis nostris sunt* &c. Deut. 29. 29.

XIV. Isti verò qui mordicus tenent, fuisse quidem Deum ab æterno, nec tamen ab æterno, aliquid, & distinctum reverà & (quantum salvâ hac distinctione fieri potest) sibi idem produxisse, dum ratiocinationi suæ fisi, absurdum esse putant, quod simpliciter ex scripturis credere debebant: in absurditates multò evidentiores incidunt: quia *lucem* quæ aliquando non splenduerit, *perfectiorem* otiosam ac sterilem ut plurimum, *actum* realem sine obiecto, *relationem* sine correlato distincto fingunt, quæ nostro certè concipiendî modo profus repugnare videntur. *Credant*, inquit Cyrillus, loco citato, *quod sicut mirabiliter omnia producit à nihilo: sic ex seipsâ (natura Dei) mirabiliter generat, &c.* Et hoc ipsum Sapientia quoq; præfenti textu quem tractamus suadere existimanda est, quando simul & generationem sui invisibilem credere, & recensens creaturas, visibilia atque inexplicabilia Dei opera (quæ etiam ipsa opinor refelleret Socinus nisi oculis credere cogeretur) admirari docet.

XV. Neque tamen hoc volumus, pluralitatem Personarum hoc modo firmissimè & immotè probatam esse. Fortassis enim intellectus nostri imbecillitate fiat, quod *actum* perfectissimum sine operatione circa distinctum, *intellectionem* sine distinctione characteris & archetypi, quietem & *læticiam* sine plurium unione & consensu non possimus concipere: at hoc certè ostendi hâc ratione confidimus: si quid rationi nostræ fidendum esset, evidentius à nobis, pluralitatem aliquam subsistentium in Deo, saltem in genere, quàm ab istis omnimodam pluralitatis negationem obtineri posse: nec proinde quod nos
credi-

credimus absurdum, impossibile, & contradictione adeò apertissimà
(quod ad ravim usque ogganniunt) involutum esse. Placet enim ve-
rò moderatio Thomæ, qui p. 1. q. 32. a. 1. *quæ sunt fidei, inquit, nō sunt*
tētanda probare nisi per autoritates: apud alios sufficit defendere nō esse
impossibile quod fides prædicat.

XVI. Contra, quas ipsi ex locis scripturæ *de unitate Dei* contra
pluralitatem personarum *consequentias* nectunt, nullo negotio solvi
possunt. Legimus enim Patrem Filiumque *unum esse* *Johan. 10. 30.*
1. Johan. 5. 7. Talem unitatem (qualiscunq̄ tandem illa sit, &
quomodocunq̄ à Scholasticis explicari possit) cum exclusione
plurium quos idololatria confinxit, doceri intelligimus, quotiescun-
q̄ue unus in scripturis Deus asseritur. Aut si hoc modo (ut solent in-
eptire) principium peti dicant: utamur sanè formulâ quæ ipsis ma-
ximè arridet: *posse* hujusmodi unitatem intelligi. Quodnam igitur
erit tam cogens atque evidens argumentum, ut evincant eam præci-
sè quæ omnem prorsus distinctionem excludat necessariò intelligen-
dam esse?

XVII. Simplex & popularis hæc est responsio, ac sufficiens mo-
destis: quâ cuivis etiam indocto uti promptum sit. Si tamen non qui-
escit adversariorum curiositas, nisi hanc unitatem DE I, distinctio-
nemque personarum in Deo, cum rationis & Logicæ suæ regulis cō-
ciliaverint: age, considerent qualia ea sint quæ ratio & Logica huma-
na *plura numero individua* appellare solet. Apparebit enim ea omnia
dividi inter se, & vel *loco situq̄*, determinato, vel *tempore* vel *definitio-
ne, naturaq̄*, adeò ac facultatibus seu potentiis separata ac diremta ef-
se. *Definitione* quidem seu naturâ: ut corpus & anima, & in univer-
sum materia ac forma, quamvis tempore fortè, locoque non divel-
lantur. *Loco*: ut plura ejusdem definitionis individua. Petrus, Pau-
lus, &c. quæ præterea & *potentiis perfectionibusq̄* *variis* inæqualia esse
& secerni possunt. *Tempore*: ut alii post alios ejusdem naturæ in ea-
dem aquâ caloris gradus &c. Atque *individua* quidem res hujusmodi
appellantur, quia in alias porrò partes *divisas* inter se, ac *definitione*
tamen divisi recipientes, secerni nequeunt (v. g. *Petrus, Paulus* &c.
quamvis enim in *caput, manus, pedes* &c. dividantur, hæc tamen non
sunt *animalia* rationalia, ut *Petrus & Paulus* in quos homo distribui-
tur,

cur, sed aliquid tantum *animalis* &c.) Plura verò individua, & plures quodammodò essentialiter appellantur, quia evidenti inter se determinatione, eaque adeò *quantitate* quæ *discreta* propriè à Logicis vocatur, divisa sunt.

XVIII. Jam si existant plures qui *naturâ* ac definitione non magis quàm Petrus & Paulus dirimantur; *neq;* loco magis quàm corpus & anima; *neq;* *duratione* magis quàm lux & lumen: qui quæ adeò distinguantur non per *oppositiones*, contrarietatem, privationem, disparationem aut *determinationem ullam includentes* (quâ ratione omnes creaturæ quæ essentialiter determinatam habent inter se dirimuntur) sed per *oppositiones nudè relativas* (uti rectè & commodè in hac re loquuntur Scholastici) h. e. instar *producentis* tantum & *producti*, quod sit indivisibile in producente, eique per omnia æquale: manifestum est horum distinctionem diversam prorsus fore ab iis, quæ suâ inter se determinatione divisa ac diremta, ratio quoque humana dividit; eoque *quantitate discreta* propriè mensurare, & plura numero individua, sicut dictum, pluresve essentialiter appellare solet.

XIX. Hæc proinde quæ *sine divisione distincta* sint, docendi causa, plures quidem *Personas* commodè appellabimus: plura verò *individua*, seu *plura numero* (eo nempe numero seu quantitate quam ratio humana propriè novit & observat) non appellabimus: sed *unum individuum* quod in partes determinatas divisaque non seceratur, licet plures in eo sint, qui per intimam unionem (quam Veteres *ἐκχώρησιν* appellarunt, quâ alter in altero indivisibile existunt, Joh. 14. 10. 11.) perfectissimè uniantur. Nobis enim, ut præclare Nazianz. inquit, in Or. de Spir. San. *Deus unus est, quia Deitas una. Non enim hoc magis, illud minus est Deus: neq;* prius hoc, illud posterius: nec voluntate distrahuntur, nec dividuntur potestate: neq; quicquam hic eorum deprehendi potest, quæ sunt iis in rebus, quæ DIVIDERE licet: sed *Deitas hæc, sive breviter res explicanda est, in divisis seu distinctis manet indivisibilis* αὐτῆς ὅτι ἐν μὲν ἐξ ἑαυτῶν ἢ ἑἑούτης: estq; tanquam tribus in solibus continuis una lucis commissio. Perspicuè in eandem sententiam pluribus differentes, vide imprimis *Damasc. lib. 1. Ort. Fid. c. 11. Cyrill. de Trin. c. 10. Athanas. Dial. 1. de Trinitat.* ubi asserit homines quoque propter identitatem τῆς αὐθγαυότητος nisi inter se differant

diffenserint, nō rectè satis plures *homines*, sed plures duntaxat *hypostases* dici posse. ar. Gal. 3. 28. omnes vos unum estis in Christo Jesu. Si in iis, addit quæ corporaliter separata sunt, modò animi sententiã non dissideant, habet scriptura unus & unum: multò magis id dicendum est in iis, quæ sunt materia & corporis expertia, &c.

XX. Hæc si diligenter considerentur, manifestum erit nullam inter pluralitatem personarum & unitatem Dei contradictionem esse, eoque nec absurdam aut impossibilem. Quæ objectio si eripiat aduersariis, nihil nisi impudentem pertinaciam videre possumus, quâ se à perpetuo & notorio piorum interpretum consensu arroganter & contentiosè audent sejungere: contra ardentissimam Apostoli obtestationem Phil. 2. 1. Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera ac miserationes: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idem sentientes &c. conf. 1. Cor. 1. 10. 2. Cor. 13. 14. Phil. 3. 16. 1. Petr. 3. 8. &c.

XXI. Usurpamus proinde in ipsos hoc loco etiam non immeritò, quod alioqui iidem, magno pietatis & concordia studio, serio subinde contra nostros urgere videri volunt. *Pauca nempe esse quæ ad salutem hominibus sint absolutè necessaria: in horum praxi unice fidelibus desudandum, in cæteris charitati, moderationi ac tolerantia mutua studendum esse.* Fatemur sanè, idemque etiam Pontificii largiuntur: pauca esse quæ sine salutis jacturâ ignorari à nullo possint, quamvis non sint adeò pauca quæ sine salutis jacturâ negari nequeunt. Ac si quis in ijs religionis Christianæ capitibus quæ controversiã carent, fideliter & sincerè se gerat: si v. g. 1. humilis ac pauper in seipso, contrito corde, Dei Christi que misericordiam unice fidat: 2. si spes ac fiduciã futurorum, bonorum secularium illecebras, malorumque metum, quem non omninò vitat & excutit, saltem vincat ac superet: 3. Si caritatem, patientiam ac misericordiam qualem sibi à DEO impetrare nititur, proximo vicissim hæcenus præster, ut eos quoque qui se lædunt, tanquam eodem satis creatore Malach. 2. 10. fraternè & fideliter diligit, Mat. h. 6. 12. 14. &c. uno verbo, si æternum illud Evangelium, Dei sigillum imprimat & inscribat animo: Time Deum &c. Apoc. 14. 6. 7. Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen

Domini, 2. Tim. 2. 19. eum quidem certò certius saluum fore, sed nec superbum, contentiosum, pertinacem, novatorem, hæreticum fore, prorsus asserimus.

XXII. Istos verò miramur, qui *opiniones novas*, si non *affirmativis* saltem *negativis* verbis conceptas, quas ipsi non *necessarias* esse fateantur, contra interpretationem scripturarum omnibus seculis in Ecclesia piorum notoriè receptam & usitatam, mordicus defendant: qui laborem atque operam, rerum confessorum praxi ac studio à Christianis præcipuè tribuèdam, ad ambages disputationum, argutias, lites & controversias non *necessarias* abstrahant: quâ fronte tandem concordia & caritati Christianorum studere videri velint? quo ve ore sese ab arrogantium, contentiosorum, sectas ac schismata facientium numero ausint eximere? qualibus jampridem ab Apostolo ipso spem salutis Christi nomine scimus abjudicatam esse. Gal. 5. 20. 21.

XXIII. Atqui, qui in officiis Christianorum minimè controversis seriò elaborant; eorumque necessitatem & difficultatem in praxi quotidianâ sentiunt; certamque ad salutem utilitatem sine hypocrisi credunt: eosdem certè arrogantiam, superbiam, contendendi, contradicendi, novandi, recepta dogmata importunè insectandi & in suspicionem falsi adducendi, *viris de Ecclesiâ optimè meritis & eorum scriptis quantum per calumnias suas fieri potest detrahendi, eosque in contemptum adducendi libidinem* (quæ Leidenses Theologi Remonstrantibus quoque nuper in *Censurâ præfationis Conf. Rem.* non sine justâ causâ videntur objecisse) exuere & deponere necesse est. Talesque non est dubium, hæreseos aut schismatis, culpam quidem apud omnes, suspicionem etiam, apud bonos haud difficulter evasuros esse.

Corollarium

Ex vers. 17. Eiusdem Capituli.

Ego (*sapientia*) diligentes me diligo; & quærentes me inveniunt me.

Quæst.

Quaestio.
*An Electio hominum ad salutem facta sit à Deo
ex fide praevisa?*

I. Affirmantibus quibusdam Pontificiis & Remonstrantibus, Arminii sectatoribus (qui hanc sui hodiè schismatis opinionem propriam fecere) favere videtur praesens versus 17. Sed responsio facilis est ex iis quae dicta fuere ad vers. 12. & 13. hujus cap. *Ego sapientia habito in astutiâ* &c. h. e. Christus habitat in astutis spiritualiter, nempe in fidelibus. *Eph. 3. 17. Gal. 7. 20. &c.* Ut notat Hebraismo abstractum pro concreto positum intelligatur.


II. Sunt videlicet duae renovationis nostrae partes: 1. *mortificatio* hominis veteris, per quam perit & evanescit omne solatium falsum ac temporale: & injicitur contra famem ac desiderium fidei gaudii & solatii spiritualis: 2. *vivificatio*, h. e. consolatio & recreatio per praesentiam & influxum sapientiae, seu Christi inhabitantis. *Gal. 2. 20.* Prima pars hoc loco *quarendi*, altera *inveniendi* vocabulo intelligitur. Licet igitur *quarere* illud, h. e. contritio cordis & desiderium remedii, ex fidei paupertatis & vanitatis humanae sensu ortum, via quaedam sit ad *inveniendum* h. e. ad *gaudium* regni DEI & *caritatem* *Rom. 14. 17.* Ipsum tamen *quarere*, contritio & fides, non ab alia priori quaestione sed ex gratuito Dei dono & beneplacito proficiscitur. *Esa. 65. 1. Quaesitus sum ab iis qui antea non interrogabant, &c. Eph. 2. 5. 8. non ex vobis, DEI donum est &c. Conf. 1. Cor. 4. 7. Job. 6. 37. 65. &c.*

III. Verba, *diligentes me diligo*, de custodiâ & amore sanctificatorum dicta sunt *Rom. 8. 28.* nisi ipsos quoque esurientes demum & sitientes justitiam, diligentium nomine hoc loco minus proprie significatos velis.

IV. Cæterum non est quod quis metuat, ne quemadmodum electionem merè gratuitam nec à praevisa in nobis fide pendentem statuimus: ita & reprobationem pariter absolutam faciamus. Quemadmodum enim octavae Bellarmini propositioni *lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 9.* cum Pareo subscribimus: *Predestinationis sive electionis divina nullam rationem ex parte nostri assignari posse: vel, uti Formula con-*

la concordia, quam vocant, loquitur: art. de æt. prædest. pag. 621.
& 821. *Non in nobis ipsis aliquam causam esse electionis divina, cujus
causa ratione DEUS nos ad vitam æternam elegerit: ita cum eodem
Pareo, aliisque (consentientibus necessario rursus qui à Luthero
denominari cupiunt) etiam nonæ ejusdem propositioni cap. 16. pa-
riter subscribimus; cujus hæc sunt verba: *Reprobatio quam S. Aug.
predestinationem ad interitum vocat, duos actus comprehendit, alterum
negativum (quatenus videlicet aliquos non iisdem omnibus donis
prosequitur quibus quicumque præditi sint, certissimè salventur)
eius nulla est causa ex parte hominū: alterum positivum (h. e. præda-
mationem, sive voluntatem damnandi) cujus causa est peccati ori-
ginalis actualisve prævisio.**

V. Uterior harum propositionum declaratio aliâ occasione
dari, & apud dictos imprimis Autores videri potest. Unde mani-
festè constat, uti temerariam Arminii assertionem minimè proba-
mus: ita nec absoluti decreti invidiam, nobis magis quàm Bellar-
mino (qui hoc nomine nondum à quoquam accusatus fuit)
aut ipsi etiam Formulæ concordia impingi
posse.




• Elencbús tractatuum hoc volum: comprehensivum.

1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Ejusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WÄNCKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Ejusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobupis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FROREYSENI Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT EJUSMODI dicti Evangelii Luc: XI. 28.
12. Ejusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: LYSERI Diaboli oraculi Job: 1. 29.
16. Ejusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Ejusd: de Anti. Christo ex 2. Thessal: 2.
18. BULAI EJUSMODI dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSSEMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliū, Genes: 3. 15.
21. Ejusd: Jesus typicus in sacrificiis veterum ostensus.
22. MARTINI assertio theologic: de curia ad locum Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysterium economia ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegna expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Ejusd: de Confessione dominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrus.
30. OLEARI lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 9. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi delevisti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKELII Exercit: theol: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18

VD 17

Z



Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



13.

m)

AVI CAP.
M,

DIVINE
STI,

ordi-

EOLOGICA

Max.

Ordinis

SS. THEO.
toris Publici

entibus

MARTINIUS
s Stipendiarius
1627.



scripta

